



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 4. Bene credentes, sed malè fundati aduersis probantur; & agnoscuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



honorem suum scoria ab auro separata. Igitur his prætextu dumtaxat opus est, vt tales se ostendant, quales sunt. Corpora peccatorum sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sicut ergo sepulchrum, quàm diu clausum est, ait os aureum, pulchrum videtur foris: si autem apertum fuerit, horribile est: sic & simulatores bonorum, quàm diu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cùm autem cogniti fuerint, abominabiles. Quis faciet, vt cognoscantur? Tecta vultus est hypocrita, Quis reuelabit faciem indumenti eius? portas vultus eius quis aperiet? Dominus, qui est scrutator cordium, & tribulationis ventilabro purgat aream suam; tunc enim grana manent, stipulæ auolant.

S. Chryl.  
hom. 45.  
in Matth.

Iob. 41. 4.

§. IV.

*Bene credentes, sed malè fundati aduersis probantur; & agnoscuntur.*

Sunt alij, qui verbum Domini cum gaudio receperunt, in quibus vera fides, spes, charitasque studio virtutum, felici germine pietatis, expectationem perfectionis mouent; attamen radicem perseuerantiæ non habent, idcirco primo persecutionis exortu ardore tentationis exarescunt. Ad tempus credunt, quàm diu sine cruce Euangelio fruuntur.



fruuntur; vbi raptor arcas expilat, tortor-  
instrumenta ſæuitiæ explicat, ad primum  
impetū expalleſcunt, & concidunt. Petrum  
ancillulæ vox poſt magnificas pollicitatio-  
nes exanimauit. In tranquillo bene nauigant;  
cū procella incubuit, brachia remittunt,  
clauum deſerunt: ſic tota ſtructura virtutum  
corruiſit. Vidua eſt virtus, quam nulla  
perſeuerantia firmat. Perſecutio igitur eſt  
conſtantię exercitium, leuitatis redargutio.  
Tot millibus Martyrum ceſſere tortores,  
millia quoque lapſorum tortoribus ſuccubuere.  
Discrimen Chriſtianorum perſecutio oſtendit;  
ignauum militem à ſtrenuo acies diſcernit.  
Inter ligna ſiluarum alia ſub dio putreſcunt,  
alia in laquearibus regum inaurantur,  
aſcia & dolabra probata perficiunt,  
reijcula vligo conſumit. Hi quidem non  
ſingunt, neque falſa eſt, aut fucata eorum  
pietas; ob inconstantiam tamen fallunt,  
& falluntur, nam poſt optimum florem  
deſinunt in fungum. Neque refert ex  
quo vino vappa fiat. Si vappa eſt, ſine  
honore eſt; neque laudatur, quidquid fugit.

§. V.

*Malitia ſimulantium pietatem.*

Quamquam omnino peior eſt ignominiaq;